

Joseph et Beniamin in Aegypto :

- A - Joseph,
- B - Judas, Fratres,
- C - Jacob (pater), dispensator

1) * * * in palatio Aegypti

A. Joseph:

“habetis patrem aut fratrem?”

B. Judas et Fratres:

“est nobis pater senex, Jacob, et puer parvulus, Beniamin, qui in senecta illius natus est, cuius uterinus frater est mortuus, et ipsum solum habet mater sua, pater vero tenere diligit eum.”

A. Joseph:

“adducite Beniamin ad me, et ponam oculos meos super illum.”

B. Judas et Fratres:

“non potest puer relinquere patrem suum; si enim illum dimiserit, morietur.”

A. Joseph:

“nisi venerit frater vester minimus vobiscum, non videbitis amplius faciem meam.”

2) * * * Cannan

C. Jacob (pater);

“revertimini et emite nobis parum tritici.”

B. Judas et Fratres:

“ire non possumus. si frater noster minimus descendet nobiscum, proficiscemur simul; alioquin, illo absente, non audemus videre faciem viri.”

C. Jacob (pater);

“vos scitis quod duos genuerit mihi uxor mea. egressus est unus, et dixistis bestia devoravit eum! et hucusque non conparet. si tuleritis et istum, et aliquid ei in via contigerit, deducetis canos meos cum maerore ad inferos .”

3) * * * in palatio Aegypti

A. Joseph (dispensatori):

“imple saccos eorum frumento, quantum possunt capere, et pone pecuniam singulorum in summitate sacci. scyphum autem meum argenteum et pretium, quod dedit tritici, pone in ore sacci iunioris.”

A. Joseph (dispensatori):

“surge, persequere viros; et adprehensis dico: “quare reddidistis malum pro bono ? scyphum quem furati estis, ipse est in quo babit dominus meus et in quo augurari solet. pessimam rem fecistis!”

4) * * * ob viam

B. Judas et Fratres: (dispensatori):

“quare sic loquitur dominus noster ? ut servi tui tantum flagitii commiserint. pecuniam quam invenimus in summitate saccorum, reportavimus ad te de terra Chanaan: et quomodo consequens est, ut furati simus de domo domini tui aurum vel argentum ? apud quemcumque fuerit inventum servorum tuorum, quod quaeris, moriatur; et nos servi erimus domini nostri.”

C, Dispensator:

“fiat iuxta vestram sententiam: apud quem fuerit inventum, ipse sit servus meus; vos autem eritis innoxii.”

5) * * * in palatio Aegypti

A. Joseph:

“cur sic agere voluistis ? an ignoratis quod non sit similis mei in augurandi scientia ?”

B. Judas:

“quid respondebimus domino meo ? vel quid loquemur aut iusti poterimus obtendere ? Deus invenit iniquitatem servorum tuorum; en omnes servi sumus domini mei, et nos et apud quem inventus est scyphus.”

A. Joseph:

“absit a me, ut sic agam! qui furatus est scyphum, ipse sit servus meus; vos autem abite liberi ad patrem vestrum .”

B. Judas:

“oro, domine mi, loquatur servus tuus verbum in auribus tuis, et ne irascaris famulo tuo; tu es enim post Pharaonem ! nisi reduxero eum, peccati reus ero in patrem meum omni tempore. manebo itaque servus tuus pro puer in ministerium domini mei, et puer ascendat cum fratribus suis . non enim possum redire ad patrem, absente puer, ne calamitatis, quae oppressura est patrem meum, testis adsistam.”

* * *